

bonitatem, quam ipsius bonitatis suæ actum exercere Deum, non sine causa Doctores quidam monuerunt.

§. XLVII. Equidem si illud urgeas, quod respectu non con-  
verforum, & intuitu delictorum, quæ admiserunt, tanquam vindi-  
candorum, etiam poenæ, quæ temporales vocantur, infligantur a  
Deo; eaque ratione justitiam Dei Deo causam impulsivam esse fa-  
tendum sit; stante tamen eo, quod horundem, qui ita plectuntur,  
propria salus quærat & promoveatur, ac propterea *pœna* illa *medi-*  
*cinalis* sit, ( ut quidam loquuntur ) & *κόλασις* s. castigatio potius,  
quam *τιμωρία* s. poena in rigore sic dicta: fatendum erit, justitiam &  
bonitatem s. benignum & paternum affectum Dei, non ita distin-  
gvi, ut non utrique simul velut certo temperamento conjunctæ, &  
conjunctim moventi, tanquam causæ aut rationi impulsivæ, idem  
adscribi possit.

§. XLVIII. Interim causa *προκαταρκτητική* s. *impulsiva externa*  
manent peccata ipsorum hominum, sive tanquam Legi repugnan-  
tia, & offensam Numinis importantia, & sic proprie loquendo pu-  
nienda; sive, ut morbi, amaro quodam pharmaco tollendi spectentur.

§. XLIX. Causa *organica* s. *instrumentalis*, ex parte Dei, est ipsa  
*Lex* ejus quæ virtute ipsius Dei sibi communicata, corda hominum  
ad agnitionem peccatorum iræque divinæ, & dolorem ob malum  
contractum & præsens timorem etiam atque horrorem secuturæ  
plenioris miseræ perducit: ut supra §. XXXII. diximus.

§. L. Sed quod ad *Satanam* attinet, eum quoque certo sensu  
*causam efficientem* prægustus damnationis esse affirmamus. Nam  
quando objecta extrinsecus objicit, quæ intellectum & voluntatem  
afficiant; aut, quando intrinsecus phantasiæ species aliquas impri-  
mit, aut motus in appetitu sensitivo excitat, aut a meditatione Evan-  
gelicarum promissionum abstrahit, utique efficienter confert ali-  
quid ad gustum illum malorum percipiendum: & nunc causæ *sub-*  
*ministrantis occasionem*, nunc causæ *removentis impedimentum*, nunc  
causæ *physica & immediata* rationem obtinet; saltem, quatenus præ-  
gustus ille in corpore & appetitu sensitivo locum habet, in quibus  
Satanas influxu physico producit, quod dolorosum est, & analo-  
giam habet ad statum damnatorum.

§. LI. *Causam impulsivam* vero ex parte *Satane* investigare non  
est difficile. Nempe omnino huc pertinet *Odium* illud, quo adver-  
sus

lus